

# Die Urkunden Karls des Großen, 209

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a deo coronatus magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Longobardorum. Regiam exercemus consuetudinem et fidelium nostrorum animos adhortamus, si iustis petitionibus eorum, in quo nostris auribus patefecerint, libenter annuimus et eas in dei nomine ad effectum perducimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini presentium scilicet et futurorum, qualiter ad deprecationem dilecti fidelis nostri Haioni comitis concessimus ei propter bene meritum suum servitium, ut omnes res, quascumque iure legitimo possidere videtur, licentiam haberet per nostram auctoritatem inter filios suos iusto tramite dividere et, sicut ille disposuerit vel ordinaverit, plenissima deliberatione ex nostra indulgentia tenere et possidere deberent, id est per loca denominata: in territorio Foroiuliense, quicquid ibidem iuste et rationabiliter adquisivit vel habere videtur, dedit filio suo nomine Alboino; et in fine Vincentina dedit similiter inter antedictum Alboinum et Ingobertum, quantumcumque sua legitima inibi fuit portio; in tertio vero loco in territorio Veronense dedit tertio filio suo Agisclaf similiter portionem suam in integrum. Unde petiit celsitudini nostre, ut per preceptum auctoritatis nostre eis denuo ipsas res plenissima deliberatione confirmare deberemus; cuius petitionem denegare noluimus, sed propter bene meritum eius servitium ita concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Precipientes ergo iubemus, ut neque vos neque iuniores seu successores vestri memoratis filiis fidelis nostri dilecti Haioni comitis Alboino, Ingoberto et Agisclaf de predictis rebus contra iusticiam inquietare aut calumniam generare neque aliquid ab eis abstrahere exinde iniuste presumatis, nisi, dum nobis et filio nostro Pipino glorioso regi fidelissimi et obedientes ac beneplaciti fuerint, per hanc nostram auctoritatem iure firmissimo teneant atque possideant et quicquid exinde facere voluerint, liberum in omnibus perfrauant arbitrium. Et ut hec auctoritas firmior habeatur vel per tempora melius conservetur, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillari iussimus.

Signum (M.) domni Karoli piissimi imperatoris.

Ibbo advicem Arcambaldi recognovi.

Data non. iul. anno VIII Christo propitio imperii nostri et XLI regni nostri in Francia atque XXXVI in Italia, indictione II; actum Aquis; in dei nomine feliciter amen.